



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Romanvm III. In Cavsa Gregorii Vercellensis Episcopi, de adulterio accusati, eorumque qui a simoniacis ordinati fuerant, congregatum anno Domioni MLI. tempore Leonis papae IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## CONCILIVM ROMANVM III. ANNO CHRISTI 1051.

IN CAVSA GREGORII VERCELLENSIS EPISCOPI,  
de adulterio accusati, eorumque qui a simoniacis or-  
dinatifiuerant, congregatum anno Domini M.L.I. tem-  
pore Leonis papæ IX.

## N O T A.

Acta Con-  
ciliu quæ.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Hermannus Contractus in chronicis res huius Syno-  
di in causa Gregorii Vercellensis episcopi paulo fusius quam solet  
istis in verbis recenset: *Post pascha item dominus papa Leo Synodum*  
*Rome collegit, ubi inter alia Gregorium Vercellensem episcopum propter*  
*adulterium cum vidua quadam auunculi sui sponsa admissum, & periu-*  
*ria perpetrata, absentem & nescientem excommunicauit; quem tamen*  
*non multo post Romanam venientem, satisfactionemque promittentem, officio*  
*priori restituit.*

In hac eadem Synodo ventilatam fuisse quæstionem de ordinatis  
ab episcopis simoniacis indicat epistola Petri Damiani ad Henricum  
Rauennatem episcopum, qua cum ille ordinatos a simoniacis ab alio-  
rum calumnia merito, prout supra constitutum ac decisum fuerat,  
defendisset, idque ipsis ordinatis gratum esset, libellum edidit, quem  
Petrus Da-  
mianus edi-  
dit libellum  
quem Gra-  
tissimum  
inscripsit.

*Gratissimum inscripsit, ideo quod in eodem de illis ordinatis ageret*  
qui omnino gratis a simoniacis ordinati fuerant, quibusque ea de  
causa idem libellus vere gratissimus foret.  
Insuper in hoc Concilio Leonem scripsisse decretum de continen-  
tia clericorum, quod Constitutum vocabant, testatur Petrus Damia-  
nus in epistola ad Cunibertum Taurinensem episcopum, ubi & de  
feminis clericis malo vsu inferuentibus hæc quæ sequuntur statuta  
fuisse tradit: *In plenaria plane Synodo sanctæ memorie Leo papa consti-*  
*tuit, ut quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mania reperiren-*  
*tur presbyteris prostituta, extunc & deinceps Lateranensi palatio adiudi-*  
*carentur ancille. Quod videlicet salutare statutum, equitatis institu-*  
*que plenissimum, nos etiam per omnes ecclesiæ propagandum esse decerni-*  
*mus, quatenus præcepto prius apostolica sedis editio, unusquisque episcopus*  
*ecclesiæ vendicet famulas, quas in sua parochia deprehenderit sacrilega*  
*presbyteris admixtione prostratas, equitatis scilicet iure, ut qua sacris al-*  
*taribus rapuisse seruorum Dei conuincuntur obsequium, ipse hoc saltē*  
*episcopo perdimini capitis sui suppleant famulatum. Hæc Petrus.*

Ceterum ex succisis vepribus infausta vitulamina rursus exorta  
falce apostolica post sanctum Leonem papam amputanda fuerunt  
per successores pontifices, rursumque radicitus excidenda.